



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

II. Legati à synodis provinciarum missi ad Romanam sedem, vel ad Principem, collati cum Legatis provincialibus. Ejus generis Legati missi à Cypriano ad Cornelium Papam, pro gerendo negotio imposito, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

plectente, jus dicebant. Omnes illi Vicarij, tum in Notitia utriusque Imperij, tum in legibus Codicis referuntur. In imperio Orientis erant tres Vicarij, Asianæ, Ponticæ, & Thracicæ Dioceseon; quibus additus est Vicarius Macedoniæ, post recisam ab Occidente illam partem Illyrici. In Occidente erant septem Vicarij, Urbis, Italiae, Illyrici, Africae, sub Praefecto praetorio Italiae; Vicarius septem provinciarum in Gallia, Vicarius Hispaniarum, & Vicarius Britanniarum, sub Praefecto praetorio Galliarum.

Alia est ratio eorum qui vicem alicujus Praefidis obtinent in provincia. Illi enim à Legatis Proconsulum differunt, & à Vicariis Praefectorum praetorio; & ad tempus provinciam administrandam obtinent, mandato Principis speciali, puta Praefide defuncto, vel aliam ob causam. Vnde fit ut nonnunquam Procurator Caesaris, Praefidis vice fungatur; ut contigit Pilato in Syria. Ei autem qui vicem alicujus judicis obtinet permissa sunt omnia quae judici cujus locum tuetur; ut docet Cujacius in Tit. Cod. de officio ejus qui vicem alicujus judicis obtinet.

X. Restat ultima Legatorum species, quae jure gentium apud omnes populos consecrata est; de quibus unica lege in toto Iuris corpore agitur. Legati hujus generis dicuntur, qui à Principe delecti negotia publica cum exteris gentibus ad eas missi disceptant; vel, ut Belitarius eos descripsit apud Procopium, si quid à conterminis gentibus desideratur, id postulatam iis mittitur per Legatos. Ij pro re tractandae magnitudine nunc illustriores, nunc vero inferioris gradus mittebantur. Quod usurpari solitum ab Imperatoribus Constantinopolitanis, & à Regibus Persarum, observavit Menander in Eclogis. De Legatis istis copiosam & eruditissimam Dissertationem edidit V. C. Carolus Paschalius; à quo peti possunt quaecunque ad materiam illam pertinent.

C A P V T II.

Synopsis.

I Diverse Legatorum species in Ecclesia. Indicitur breviter in quo componi possint Legati Ecclesiae cum Legatis Imperij.

II Legati à synodis provinciarum missi ad Romanam sedem, vel ad Principem, collati cum Legatis provincialibus. Ejus generis Legati missi à Cypriano ad Cornelium Papam, pro gerendo negotio imposita, absque ulla jurisdictione. Legatio non ab similibus missa à Synodo Carthaginiensi ad Anastasium Pontificem, & ad Episcopum Mediolanensem, pro venia Synodi Capuanae, de baptizatis à Donatistis. Ad Mediolanensem Episcopum Legati directi, sed praecipue ad Romanum.

III. Missi quoque à Synodo Carthaginiensi Legati ad Principes, una cum literis. Quid sit libera legatio in illo Concilio. Differt ab ea cujus meminit Cicero & Vlpianus. Haec titulo tenus & ad dignitatem data; illa vero, quae nullis mandatis est adstricta, similis procuratori libere.

IV. Ab Orientis Ecclesiis directi quoque Legati ad Romanam sedem, scilicet à Synodo Antiochena, & Alexandrina, in causa Athanasij, & à Concilio Lampsaceno. Infinitum est ejusmodi legationes recensere.

V. Romani quoque Pontifices mittebant aliquando hujus generis Legatos, ut Julius ad Orientales; quibus ministerium nudum injunctum erat, nulla vero jurisdictione. Ad hanc speciem pertinet legatio Faustini ad Concilium Carthaginiense. Nulla jurisdictione illi mandata; sed impositum ministerium de capitibus aliquot tractandi.

VI. Magno honore excepti Faustinus ejusque socij ab Africanis. Non poterant sententiam dicere in synodo Africana jure proprio, quia peregrini, nec jure delegationis. Quid permitteretur peregrino Episcopo. Confessus in Ecclesia ante Presbyteros. Et facultas offerendi: qua concessa à Concilio Arelatensi. Olim peregrinis Eucharistia tantum missa domum; deinde inductum ab Aniceto ut porrigeretur illis in Ecclesia. Explicatus ea de re, nova interpretatione, Irenaei locus.

VII. Faustinus illiusque socij, ex beneficio Africanorum, in synodum admissi, sententiam quoque dixerunt. Tertius locus illis datus, quia negotiorum tantum procuratores erant, nulla jurisdictione instructi.

VIII. Refelluntur Novatores, qui ex hoc Concilio Metropolitani Legatis omnibus Romanis anteponebatur censent.

I. **I**N Ecclesia locum quoque habent legationes diversi generis. Quidam enim Legati mittuntur ad negotiorum publicorum prosecutionem, qui Legatis provincialibus respondent. Quidam instructi sunt jurisdictione quadam quae illis mandatur, qui aliquo pacto componi possunt cum Legatis Proconsulum. Quibusdam plena jurisdictione in provincias vacantes conceditur, qui aliqua ex parte Legatos Caesaris & Consulares referunt. Quidam suae jurisdictioni ordinariae in aliquot provincias adjunctam habent vicariam apostolicae sedis auctoritatem, quos, ratione Dioceseos quam administrant, conferre licet cum Vicariis Praefectorum praetorio. Legatis autem à sede apostolica missis sanctitas illa, quae Legatis Principum debetur ex jure gentium, à Christianis Principibus conservari debet. Vnde patet quantam lucem dicendis foenerari possimus ex iis quae capite primo adnotata sunt.

II. Ac primò quidem Legati qui à synodis provinciarum ad Romanam sedem vel ad Principes mittebantur olim, nullo jure alio censeferi poterant quam illo quod in Legatis provincialibus obtinebat, adeo ut nulla jurisdictione data, sola illis gerendi negotij quod mandatum erat sollicitudo immineret. Hujus generis erant Episcopi Calidonius &

Cypr. ep. 41. ad
Cornelium.

Fortunatus, Legati à Cypriano & Synodo Carthaginensi ad Cornelium Pontificem & Romanam Ecclesiam missi, ut quantum fieri posset eniterentur ad componendam consiliis suis Ecclesie unitatem, quæ factione Novatiani scissa erat, & ut de Cornelij ordinatione quæ sibi essent comperta referrent ad Africanos; quò scrupulo omni excusso, Cornelij *communicationem*, id est, *catholicæ Ecclesie unitatem pariter & caritatem probarent firmiter & tenerent*. Hos Episcopos ad Cornelium missos disertè Cyprianus Legatos vocat. In Concilio quoque Carthaginensi legatio decreta fuit anno cdi. ad Anastasium sedis apostolicæ Episcopum, ad Venerium Sacerdotem Mediolanensem, & ad Imperatores, ut Ecclesie Africanæ necessitatibus consulereetur. Etenim cum in Concilio Capuano generali veritum fuisset anno trecentesimo octuagesimo nono ne baptizati à Donatistis in clerum aliquando adsciscerentur, Africanæ Ecclesie ad eam Clericorum inopiam redactæ ut plerisque earum desertis ne unus quidem Diaconus vel illiteratus reperiretur, hanc necessitatem suggererunt Episcopis Romano & Mediolanensi. *Ex his enim sedibus*, inquit illi, *hoc fuerat prohibitum*. Quare eorum ope *communi periculo providendum* aiunt. A generali autem prohibitione eos excipi postulant qui apud Donatistas parvuli baptizati, agnita deinde veritate ad Ecclesiam catholicam accedentes, per manus impositionem suscepti sunt. *Tantum de his qui infantes baptizati sunt satagimus*, inquit, *ut nostre, si placet, in iisdem ordinandis consentiant voluntati*. Quare ad interpretandam Concilij plenarij definitionem necessarium existimabant Africani sedis apostolicæ consensum. Hoc enim ab ea sede *maximè* pendere profitentur in simili specie, de Clericis Donatistarum; etsi ad ceteros quoque transmarinos Episcopos literas suas dirigant: ex quorum consilio, & præcipuè Mediolanensis Episcopi, qui erat Italiae Primas, Romanus Pontifex res istas constituerat.

In d. Collect. c.
58. 59. 60. 61. 62.
63. 64.

In d. Coll. c. 29.

III. Eadem legatione postulatum est ab Imperatoribus ut templa paganorum abolerentur in Africa, & aliquot alia capita, quæ recensentur in dicto Carthaginensi Concilio. Anno quoque cccciv. ex altero Concilio Carthaginensi Theasius & Evodius Episcopi ad Principes missi sunt adversus Donatistas; quibus Legatorum nomen impositum, & literæ datæ ad Imperatores & magistratus. *Illud præterea cunctis nobis placuit, ut literæ de casu nostro ad gloriosissimos Imperatores & eminentissimas potestates dirigantur, quibus instruantur nostro omnium consensu ad*

beatissimum comitatum Legatos à nobis esse directos.

Frequentes visuntur in Conciliis Carthaginensibus decreta ad Imperatores legationes adversus paganos & hæreticos. Sed observanda est in primis illa quæ injuncta est Vincentio & Fortunatiano anno cdivii. de qua his verbis constitutum est: *Placuit ut legationem liberam habeant ad comitatum missi delecti Legati*. Vbi alio sensu accipienda est libera legatio quàm usurpetur ab Vlpiano: *Qui libera legatione abest*, inquit, *non videtur republice causâ abesse*. Hic enim non publici commodi, sed sui causâ abest. Apud Vlpianum enim libera legatio dicitur quæ nulli negotio gerendo adstricta, nec ullo tempore finita, viris clarissimis à Senatu olim, deinde ab Imperatoribus concedebatur titulo tenus, ut in provinciis privatas res suas curantes, vel etiam voti solvendi causâ, fana & sacra loca adeuntes, Legatorum dignitate ornarentur, quæ ultima legationis species etiam votiva dicebatur. Vtriusque autem legationis frequens mentio apud Ciceronem & aliquot veteres. In dicto verò canone Carthaginensis Concilij, libera legatio dicitur quæ liberis mandatis constituta erat. *Libera mandata* voco cum Livio ea quæ Legatis dantur nulli formulæ adstricta, quæque rem omnem gerendam eorum fidei & prudentiæ committunt. His autem verbis libera illa Legatorum potestas explicatur à patribus Africanis: *Placuit & illud, ut adversus Donatistas & Paganos, vel eorum superstitiones, Legati missi de hoc glorioso Concilio, quicquid utile perviderint, de gloriosissimis Principibus impetrent*. Itaque istiusmodi Legati similes videntur Procuratoribus, quibus mandato generali libera rerum administratio commissa est; de quibus Iuriconsulti.

IV. Ab Orientalibus Episcopis missos olim ad Romanum Pontificem Legatos docet epistola Iulij apud Athanasium, qui descriptionem Martyrij Presbyteri & Hefychij Diaconi Legatorum Orientalium apud se habitam cum Legatis Athanasij & Synodi Alexandrinæ refert; his communionem Athanasij non esse rejiciendam à Pontifice Romano contendentibus; illis verò damnati hominis consortium non esse amplectendum asserentibus, & postulantibus novum iudicium à Iulio, si opus esset, instaurari. Præterea Lampfacenum Concilium Episcoporum Orientalium, tres Legatos ad Liberium misit, Eustathium, Silvanum, & Theophilum, qui repudiato Ariminensis & Seleucensis Conciliorum decreto, Nicænam fidem se retinere profiterentur. Lampfacenæ synodi legationem sibi ad Liberium in-

Cypr. ep. 41.
Cum statuissemus
collega quamplu-
res, qui in unum
convenissent, ut
Legatis ad nos
Consiliis nostris
Calidano & Fer-
renato missi &c.

Coll. Concil.
Afric. c. 17. &
in Prefat.

Coll. Concil.
Afric. c. 68.

Coll. ad Afric.
c. 17. & 18.
c. 19. & 20.
c. 21. & 22.
c. 23. & 24.
c. 25. & 26.
c. 27. & 28.
c. 29. & 30.

In d. Coll.
c. 101.

In d. Coll.
c. 101.

In d. Coll.
c. 101.